



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

**Fleury, Claude**


**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. LXII. Epistola Mechlinensis Archiepiscopi ad suos Diœcesanos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](#)



## BENEVOLE LECTOR!

*Sequens §. cum in separato folio descriptus esset,  
ex Typographi incuria omissus est, cum  
autem ad Mechliniensis controversiae, e-  
jusque exitus cognitionem multum conferre  
videatur, eum ad calcem hujus Tomi sub-  
jungendum duximus.*

### §. LXII.

*Epistola Mechliniensis Archiepiscopi ad  
suos Diaconos.*

(ad Pag. 187.)

Quamprimum Mechliniensis Archipræ-  
sul Innocentii Breve receperat, mox  
illud promulgavit, cunctisque illius ob-  
servantiam suo exemplo, datisque hisce  
literis inculcavit. „Innocentius XII. Pon-  
tifex Maximus pro pastorali sua sollicitu-  
dine Ecclesiarum Belgicarum necessitati-  
bus prospiciens, ad removendas dubita-  
tiones omnes & Cavillationes circa con-  
demnationem quinque famosarum propo-  
sitionum & præscriptam adversus eas  
formulam Juramenti, omnes, ad quos  
pertinet, certiores reddere dignatus est  
„Apo-

„Apostolico Brevi ad nos dato die sexta  
„Februarii ultimo elapsi, se firmiter inhæ-  
rere constitutionibus Prædecessorum suorum  
Innocentii X. & Alexandri VII. in quibus  
quinque Propositiones ex libro Cornelii Jan-  
senii, cui titulus est, Augustinus excerptæ  
& damnatæ unacum Formulario Juramenti  
in earumdem condemnationem præstundi conti-  
nentur, easque Constitutiones in suo robore  
fuisse, & esse declarat. Ne vero alteratio  
„deinceps sit de sensu, quo in memorato  
„libro propositiones prænominatæ depre-  
„henduntur, addit, eas esse ex libro Jan-  
senii excerptas in sensu obvio. Declarat præ-  
„terea, nos per constitutionem Aqostolicam  
munitos esse facultate, Formularii subscriptio-  
nem, seu Juramentum ad praxim reducendi,  
in quo Zelum & charitatem nobis commendat.  
„Quapropter voluimus primi omnium juxta  
„eandem formulam jurare, eique manu  
„propria subscribere, uti re ipsa juravimus  
„& subscriptimus, exemplum nostrum mox  
„sequente Vicario nostro Generali, ut cæ-  
„teris inferioribus Presbyteris murmura-  
„tionum ansa præscindatur. Neque enim  
„est, cur in re tam honesta & Sedis Apo-  
„stolicæ judicio comprobata oves pudeat  
„sequi exemplum Pastoris, aut Presby-  
„teros exemplum Episcopi. Præstandum  
„autem est Juramentum juxta Formulam  
„ab Alexandro VII. præscriptam, quæ  
„hic

„hic subjicitur (°) cuique nihil sive inter-  
 „ne addi potest, aut demi quocumque  
 „prætextu, sed omnes, qui ad Juramen-  
 tum adigendi sunt illud præstare debent sincere,  
 absque ulla distinctione, restrictione, seu expo-  
 sitione, neque, alio sensu, quam obvio, quem  
 ipsius Formularii verba per se exhibent. Si  
 „quis aliter jurare præsumperit, hominibus  
 „forte illudere poterit, sed non Deo, qui  
 „scrutatur corda, & horrendum perjurii  
 „crimen non patietur impunitum: Datum  
 „Bruxellis die . . . Junii 1694.

(°) *Ego N. Constitutioni Apostolicae Innoc. X.  
 datæ die 31. Maij 1653. Constitutioni  
 Alexandri VII. datæ 16. Octobr. 1656.  
 summorum Pontificum me subjicio, &  
 quinque propositiones ex Cornelii Jansenii  
 libro, cui nomen: Augustinus, excerptas,  
 & in sensu ab eodem Authore intento,  
 prout illas per dictas Constitutiones Sedes  
 Apostolica damnavit, sincero animo re-  
 jicio, ac damno, & ita juro, sic me Deus  
 adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.*

## NOTAN-